Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift

personuerit tuba in manu mea. uos quoque per castrorum circuitum clangite. et conclamate domino et Gedeoni.

PUELLA de terra israhel captiua. sic et sic loquitur. quia sancta scriptura redemptionis mysteria. aliis aliisque figuris mirabiliter persequitur. Eadem nocte. que sicut dictum est. celebris est in tota ueteris testamenti pagina. Dominus ad GEDEON dicit. cum deus pater per spiritum sanctum. incarnationis christi mysteria instituit. Surge de excelsa et quieta celorum gloria. descende factus homo. in castra ecclesie. pugnaturus contra spiritalia nequicie. Quia tradidi eos in manu tua. quia tue humilitati. omnem diabolice superbie potentiam subiugaui. Sin autem solus ire formidas. quia uerbi tui precones. uti uere uitis palmites. adiutores habere desideras. Si solus ire formidas. qui in forma serui te pauidum et infirmum demonstras. Descendat tecum PHARA puer tuus. uel ordo apostolicus. uel predicatorum tuorum cuneus. Phara enim lagunecula uel frugifer interpretatur. per quem uel apostolorum. uel predicatorum ordo figuratur. qui dum doctrine fluenta ministrat. uberes fidelium fruges congregat. Cum audieris quid loquantur. cum factus homo experiri ceperis. quid de te. uel iudeorum. uel gentium populus uaticinentur. Tunc manus tue confortabuntur. cum tue redemptionis mysteria omnia per me prosperabuntur. Securior ad hostium castra descendes. cum in assumpte humanitatis habitu subito et inpulso impetu eorum superbiam prosternes. GEDEON cum phara puero suo in partem castrorum descendit. cum filius dei factus homo. ad huius mundi habitationem in synagogam uenit. de qua sibi pauperes piscatores elegit. Ubi erant uigilie armatorum. quia in synagoga sunt eloquia legis et prophetarum. quibus armantur uigilie fidelium doctorum. MADIAN et AMALECH. et omnes orientales populi iacent in ualle diffusi. cum legis scriptura. uel ipsa legis tradicio. uel figure cerimoniarum legalium seruiunt carnalis populi intelligentie carnali. Et locustarum multitudo. que est carnalis intelligentia carnalium uel litterarum uel cerimoniarum. Cameli innumerabiles. sunt allegorie inexplicabiles. Sicut harena que iacet in litoribus maris. que est diuersitas immensa sententiarum. in profundo celestium litterarum. Narrat aliquis somnium proximo suo. cum BALAAM ille diuinus propheta gentium populo. Refert in hunc modum quod uiderat. cum cadens in oratione apertos habet oculos in contemplatione. Uidi inquit somnium. quia future redemptionis mysterium erit michi quasi nocturnum somnium. qui propter cordis mei uicium. non habebo ex ea salutis remedium. Videbatur michi quasi subcinericius panis ex ordeo uolui. et in madian castra descendere. Orietur stella ex IACOB. et consurget homo de israhel. et confringet omnes duces alienigenarum. et erit omnis terra possessio eius. Subcinericius panis ex ordeo uoluitur. cum panis ille angelorum cinere nostre mortalitatis coopertus. sub illo ueteris testamenti cultu nascitur. quod per ordeum exprimitur. De quo subcinericio pane psalmista dicit. ex ipsius christi persona. Cinerem tamquam panem manducabam. et poculum meum cum fletu miscebam. Subcinericius panis in castra madian descendit. cum christus per assumptam mortalitatem ad huius mundi